



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 4. Thule.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

*bent sylvas, tantùm iuncea herbis inhorrescunt, &c.*

Circiter triginta dicuntur à Ptolemæo; Plinius & Martianus Capella quadraginta numerant; Iornandes 35. Isidorus 83. Solinus denique tres, sed in eius codicem mendum irrepsisse putant eruditi, pro triginta.

Earum præcipuam, & maximam dictam esse olim Pomonam asserunt Buchananus, & Boëtius; Camdenus apud Solinum Pomonam Diutinam dici putat; sed fortè Camdenus incidit in alium à nostris Codicem; absit enim ut tantum virum tam turpiter lapsum suspicemur.

Porro labante Imperio sub Honorio in eas sese Saxones innuauere, licet hinc superatos innuat Claudianus.

— *maduerunt Saxone fuso*

*Orcades.*

#### §. 4. Thule.

Sic enim dicenda est non *Thyle*, ut rectè ostendit in suâ Germaniâ Cluuerius, malè apud Æthicum dicta *Tilla*, & *Tila*.

Ita nominatam vult Isidorus à *Sole*; Suidas à Rege Ægyptio; alij à voce Arabica *Tule* quæ significat *procul*; alij denique à Saxo-nixo nomine *Tell* limes, quoniam hæc *limes Septentrionis* erat.

De eâ habet aliqua Solinus cap. 25. & eius incolis: sed plura Procopius lib. 2. de bello Gothico, at quæ Scandiæ potiùs aptanda sunt, ut postea ostendemus.

Sed quid hodie Thule? quæstio perdifficilis, & quæ scriptores in tres opiniones distraxit.

*Prima* credit esse Scandiam; sic Ortelius, quia quæcumque dicuntur de Thule à Procopio loco suprâ laudato, ei regioni quadrant: fauere videtur, & nomen; siquidem pars huius regionis dicitur in præsentia *Tillemark*.

*Secunda* est Philippi Cluuerij, cuius est illa ratiocinatio. Thule est illa insula quam attingit Polaris Arcticus ut iam loquimur, seu ut loquuntur veteres Arcticus eorum qui degunt sub Tropico Cancris, talis est *Islandia* insula, igitur *Islandia* est Thule veterum. Assumptio liquet ex tabulis; propositio est Plinij lib. 4. cap. 16. Solini cap. 25. Melæ lib. 3. Cleomedis cap. 7. lib. 1.

*Tertia* est Camdeni, qui *Schetlandiam* esse arbitratur; tum quia situs huius insulæ Ptolemæico Thulensi respondet, & littus *Bergarum*



garum respicit, ut vult Pomponius Mela, hoc est *Bergen* emporium Noruegiæ è Regione Schetlandiæ: tum quia nomen planè concinit, nam ab omnibus nautis Germanis, & Britannis, qui voces hæreditarias à maioribus accipiunt, dicitur etiamnum *Thylinfell*.

De hac insulâ multa olim fabulosè scripta: quæ causa fuit quòd ut quidam veterum eam esse negarunt.

CAPVT IV.

*Albionis Citerioris seu Romanæ diuisio.*

**I**TA dicebatur quod cis Murum sita esset de quo pòstagemus, quo Romani ditionem suam ab hostico disiunxerant, & totum *Angliæ Regnum hodiernum* continebat.

*Citerioris Albionis pars superior.*

**HODIE** est Vallia tota, & Angliæ vniuersa præter partem Septentrionalem.

§. I. *De Britannia prima: sic appellata est quòd Romani in eam priùs arma intulissent.*

CANTII  le Comté de Kent.	}	DVROVERNVM: <i>Cantorbery</i> , aliter Durobernium Bedæ.
		Dubris: <i>Douure</i> .
		Rhutupiæ, seu Rhutupis: <i>Richborouu</i> .
		Durobreuis: <i>Rocheſter</i> , aliter Durobriua & Durobrus.
		Durolenum: <i>Lencham</i> .
INSV- LÆ	}	Toliapis ad Tameſis ostium: <i>Sheppye</i> .
		Thanatos: <i>Thaney</i> , seu <i>Tanet</i> .

REGNI les Comtez d'Es- sex & de Surrey.	}	NEOMÆVS, seu Nouiomagus: <i>Foodcotte</i> .
		Othona: <i>Hastingz</i> .
		Portus Adurni: <i>Edirington</i> .

BELGÆ	}	AQVÆ CALIDÆ, seu folis Aquæ: <i>Bathe</i> , seu <i>Caer-Badon</i> .
-------	---	---

pag. 130 Videa seuclara

Z